

§. X. Quod Fanaticismum ipsum concernit, is *primo* ita comparatus est, ut rationem, illud inveniendae, atque eruendae, veritatis instrumentum, divinitus concessum, penitus supprimat. Non eget id operosiore probatione. Legantur modo, quae recentissime inter Lockium & Poiretum disceptata sunt. Suppressa autem ratione, nihil erit adeo ineptum, & absurdum, quod non facile admiseris, & grande aliquod mysterium interpretaturus sis. Inde est, quod Fanaticos ea videamus facere, quae insaniam, mentisque defectum, non obscure, produnt. Observatum id est iam suo tempore Miltiadi, qui in libro, *περὶ τῆ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν*, apud Eusebium L.V. H. E. c. XVII. non male iudicavit, pseudo prophetam in *παρ-εκστάσει*, cuius comes sit *ἄδεια, καὶ ἀφοβία*, incipere quidem *ἐξ ἐκστάσεως ἀμαθίας*, sed desinere tandem *εἰς ἀκρόσιον μανίαν ψυχῆς*. Atque id ipsum est, quod difficilem facit disceptationem cum istiusmodi homine. Nam tantum abest, ut rationem is, pro eo, ac par est, adhibeat, ut potius lumen internum unice crepans, reliqua, tanquam a ratione profecta, contemnat, ac fastidiat. *Dein* si dicendum, quod res est, nimium quantum passionibus, quas vocant, praedominantibus blanditur. Crepat namque revelationes divinas, lumen aliquod internum, particulam essentiae divinae, summam perfectionem, unionem cum Deo, & transmutationem quasi essentialem, promittit regnum aliquod chiliasticum, omnem inter homines *ὑπεροχὴν* tollit, communionem bonorum meditatur. Quae omnia profecto superbiam, & avaritiam, alunt. Nihil homine Fanatico, etsi verbis, factisque externis, humilitatem simulet, arrogantius, & superbius. Anabaptista ille cuius supra ex Calvinii Epistolis facta est mentio, *in curiam introductus, volebat primo syndico assidere; inde repulsus, caput oculosque torquendo, Prophetica maiestatem simulans, tribus verbis ad rogata respondebat, si liberet, saepius tacebat.* Quam insolenter Quackeri, nominatim Wilhelmus Ames, nec non Christianus Pyttel, Gedani se gesserint, pluribus enarrat Hartknochius, in H. P. L. III. c. XI. Admissi namque in Senatum, recto capite suam agebant causam. Quam ipsorum rusticitatem Christophorus Wunderlichius, eiusdem societatis homo, maximo-
pere